

**XXV. IANVARII.  
DE S. ANANIA APOSTOLO DAMASCI,  
ET MARTYRE.  
ACTA EX MS. GRÆCO.**

[1] Cvm impius a Lucianus, ad partes Orientis in Betagauren Eletheropoleos, ab iis qui non minus idolorum vesaniam quam Imperij scepra susceperant, missus esset, [Luciani Præsidis persecutio,] acerrima facta Christianorum inquisitio est. Hic ergo Lucianus pro tyrannico sedens tribunali, vel ante opera ipsa verbis animi furorem spirabat, mala, vt ita dicam, fabricans Christianis: litteræque & edicta per omnem prouinciam frequentia mittebantur, vt nolentes dæmoniis sacrificare, confitentesque Iesum Christum Dominum nostrum verum Deum, atque eius sacra sectantes, non solum acerbissimis subiicerentur suppliciis, & per ignem, & feras, ac mare, aliaque cruciatuum genera mortem subirent; sed & sacra eorum corpora domestico sepulchro carerent, forasque raptarentur canibus ac feris pabulum futura.

[2] Ananias igitur cælestium mysteriorum interpres, Deique Apostolus, vnus & ipse de septuaginta Christi discipulis, diuina quadam virtute & inaspectabili claritate, [S. Ananias Antiochia Damascum venit:] Antiochia, vbi primum Christianorum cæpit nomine celebrari gens nostra, Damascum venit, vt nec ipsa veritatis esset seminum expers, nec pietatis fructuum infecunda.

[3] Interea autem Paulus magis magisque aduersus Apostolorum chorum rabiem parturiens, intolerabiles in eos minas iactans, atque incredibili quodam aduersus eos accensus odio, rogauit Principem Sacerdotum, [Saulum sæuientem,] vt litteras mitteret ad eas synagogas quæ isthic erant, vt qui recusassent Christianorum religionem deserere, eos vinctos sub custodia Hierosolymam vel

inuitos pertraheret. Ei vero rei omnia sapienter administrans Prouidentia interuenit, quæ etiam eminus præstruere occasiones solet, quando ita successurum quid videt, vt inde boni quidpiam enascatur. Ibat igitur Damascum Paulus: cumque iam vrbi appropinquaret, lumen cæleste oculis suis circumfusum videt, soloque prostratus his se verbis compellari audit: Saule, Saule, quid me persequeris? Et, Consurgens, inquit, pete ciuitatem, vbi dicetur tibi quid te oporteat facere. [eoque diuinitus cæcatum,] Cumque surrexisset, apertis oculis neminem videre poterat: verum manu ductus Damascum ingreditur. Ananiæ autem præcipit Deus: Vade, inquit, in vicum Rectum, ac Paulo Tarsensi manibus impositis, ab oculis eius caliginem depelle. Nam & ipse mihi vas electionis erit, portabitque nomen meum coram gentibus & Regibus & filiis Israel. Venit igitur diuinus Ananias, [visu redonatum,] sicut ei dictum erat a Domino, & Paulo videndi facultatem restituit. Nihil vero attinet minutatim singula persequi, cum in promptu sit ex Actibus ea, si quis voluerit, cognoscere. Ille autem & ad pietatem conuertitur, & nomen simul mutat cum moribus, adscenditque in tertium cælum, [baptizat:] atque Euangelium prædicans orbem circuit terrarum, tantus amore erga Christum effectus, quantus rabie aduersus Christianos prius existimabatur, vtroque & robur naturæ & animi magnitudinem ostendens.

[4] Sic ergo Ananias cum Paulum ad veram perduxisset vitam, dupliciterque illuminasset, & cum hac quæ oculis cernitur luce, ad eam quoque, quæ intelligentia percipitur, vt oportet intuendam præparasset, [prædicat in Bethagaure:] ibat per Bethagauren prædicans Euangelium: & veluti rationali quadam sagena, diuina scilicet doctrina, in quos inciderat omnes ad Dei cognitionem pertrahebat.

[5] [comprehenditur:] Cum in his versaretur, comprehenditur ab iis quorum munus erat venari Christianos, atque ad filium tenebrarum Lucianum Præsidentem perducitur. Ille vero mox in publico theatro præsidet: virum autem plurimum admiratur, emicantem cernens eximiam aspectus venustatem, & singularem morum compositionem, ac linguam multis gratiis fluentem. Hæc cernens larvam benignitatis induit, ac mansuetudinem simulat, multam intus occultans feritatem. & sermone ad hilaritatem composito, Crede mihi, [tentatur blanditiis,] inquit, Anania, vtilia suadenti, & diis nostris assensus, repudia quem prædicas Crucifixum: neque efficias vt forma hæc aspectu longe pulcherrima suppliciiis consumatur. Ille autem, Deum verum, inquit, adoro, ipsi adhæreo, ipsum solum specto, neque eo mihi quidquam esse dulcius potest: cuius ego & ad Pauli mentem veritatis cognitione imbuendam, & visum oculis eius restituendum minister effectus sum: qui Saulus quidem prius dicebatur, Paulus vero a Domino mutato nomine appellatus est, vt qui superata ignorantie iactatione, ad firmum ac solum portum, Iesu mei fidem, per agnitionem accesserit.

[5] Videris, inquit Iudex, magnitudine ac robore corporis fretus, aduersus ipsa supplicia tollere supercilium. Quare & sapientia tibi in dementiam conuersa est, & abundantia prudentiæ, vt video, leuitas successit. Hæc audiens magister veritatis, [minis,] oculis & manibus statim in cælum sublatis, Domine Iesu Christe, inquit, Deus virtutum, numquam me suis cassibus implicet inimicus. Sed & mihi pro te pati liceat, & coronis tuis ornari, & choro coniungi tuorum discipulorum, vt mihi, sicut & Paulo, salus contingat. In his ille orans persistebat: sed mox precationem plagæ, nudo tergo inflictæ, exceperunt. [flagris:] Ad hæc præcones succlamabant: Præsidi obtempera, & potentibus diis sacrificia. Ananias vero labia

quidem mouebat, sine voce tamen orationem sursum mittebat ad Deum.

[6] Ita tormentis minisque superior est factus, ac prius carnifices ab inferendis, quam ipse a tolerandis verberibus fatigati destitere. Ergo a tormentis Discipulus simul & Martyr relaxatur, [nouas blanditias contemnit:] rursus vero ad blanditias vulpes (Presidem dico) conuertitur. Sed nunc saltem, inquiebat Discipulo, ad te redi, & tuæ parce animæ, tuæque pulchritudinis miserere, quæ alioqui perit. Nam maiora te manent supplicia, ipsos iuro deos. Ille autem multo Christi amore cor inflammatus, fortiter acriterque insultans respondit, non modo se numquam sacrificaturum esse dæmonibus, sed curaturum vt quoscumque posset ad Christi fidem conuerteret. Deinde & in ipsum Præsidem linguæ nervos intendit, acrioribusque eum verbis incessit: Non erubescis, inquit, o vere infelix, ac pudoris foueam ingrederis, nunc quidem flagris sæuiens, nunc blanditiis surrepens, & tamquam delicatum quempiam puerulum mollibus nos verbis demulces?

[7] [vngulis raditur:] His incitatus Iudex, nudatum Martyris corpus iubet ferreis vnguibus laniari, dein & lampadibus vstulari; vt dum paullatim corpus eliquaretur, [facibus vstulatur:] ita diuturniores dolores ad cor affluerent. Sed ferreos vngues, perinde ac si eos alius quispiam pateretur, contemnebat Martyr: ignis quoque illi cessabat, neque ignis esse credebatur: ipsum vero cor tyranni quadam ratione peruadebat, magisque ad insaniam concitabat; &, Quousque, inquit, iussis Imperatorum non obtemperabis, & quos ipsi deos colunt, non honorabis? At ille, Cur me, ait, [venuste ridet eadem sæpius interrogantem:] eadem & de iisdem loqui sæpius cogis, tamquam eorum qui in chorea ludunt, sermonis cursum circumagentem? Scias igitur, scias & credas, non solum fore vt nulla re frangar, non cruciatu, non donis,

non blanditiis, non minis, neque alia re vlla; sed vt eos etiam, qui iam sunt superati, aut sponte in errorem inciderunt, acerbe defleam, & te præ ceteris deplorem, qui non solum tibi ipsi sis exitij caussa, sed & alios plures, partim inducas, partim cogas inuitos impietatem complecti. Nescis quod quæ a vobis coluntur æs sunt, ligna, ac lapides, quibus vt materia vtens homo, ipse Dei figmentum, ista efformat? Quomodo ergo potest non absurdum videri, vt opus ipse suum adoret opifex? aut quisnam homo sanæ mentis operi manuum suarum cultum exhibeat, aut bona ab eo petat?

[8] His seruus perditionis magis efferatus, cum non valeret verbis aduersus athletam decertare, lapidibus obrui, ipsemet lapis, [obruitur lapidibus;] eum extra vrbem ab adstantibus iubet. Is vero qui talia erat passurus, pro lapidibus linguam misit in eos qui non sunt dij, dicens: Dij qui cælum & terram non condiderunt, pereant. Cum vero ad locum constitutum peruenisset, ac iam lapidibus obrueretur, manibus in cælum eleuatis; O Rex Regum, inquit, & Domine dominantium, suscipe hoc acceptabile sacrificium, meam hanc per lapides consummationem. Continuo preces oblata a Deo corona, atque ad Regnum æternum euocatio, vt par erat, est consecuta, primo die mensis Octobris.

[9] Corpus vero Martyris vere beatum, quidam Martyrum amantes, postquam lictores domum essent reuersi, [sepelitur.] magnifice sustulerunt, & splendidissime inuolutum in regione Damascenorum, in paterna eius hereditate deposuerunt, ad gloriam Patris, Filij & Spiritus sancti, vnius & indiuiduæ Trinitatis, cui conuenit honor, imperium, maiestas & magnificentia, nunc & in secula, Amen.